



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **In Genesis Enarratio**

**Chyträus, David**

**Vitebergæ**

**VD16 C 2625**

VI. De Legis effectu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

quarum magnitudinem & atrocitatem nulla eloquentia humana satis deplorare potest, ut infra dicitur, Multiplicabo ærumnas tuas & c.

VI. Morbi & mors corporis, ut dicitur, Puluis es, & in puluerem reuerteris.

Et redit in nihilum, quod fuit ante nihil.

VII. Tyrannis diaboli horribiliter impellentis imbecilles homines ad tetra & abominanda scelera, ut cæci ex alijs in alia ruant, & in æternum exitium precipitentur, ut Exempla Astyagis, Atrei, Oedipi, Neronis, mulieris Xantiæ, Saulis, Iudæ & similibus ostendunt.

VIII. Æterna damnatio.

### VI. Locus.

## DE LEGE DETEGENTE Hypocrisim & accusante peccata.

Vt Adam initio folijs fici suam nuditatem tegere conatur, & postea accusatus uoce diuina, non disertè fatetur peccatum, sed omnem culpam à se ipsum Deum, uelut iniustum & crudelem iudicem, & in alias causas remotissimas deriuat, Sic uniuersa hominum natura, eadem hypocrisi infecta est, non uult uideri turpis & deformata peccato, non intelligit

K telligit

telligit magnitudinem & atrocitatem peccati, imo interiora mala in corde prorsus negligit, Deinde fascinata admiratione suæ disciplinæ & qualiumcunq; exercitiorum uirtutis, ægerrimè fert laudem iusticiæ sibi detrahi. Cumq; iudicet se propter hoc decus disciplinæ prorsus sine peccato esse, postea in ærumnis fremit aduersus Deum, & accusat eum in iusticiæ & crudelitatis.

Hæc arrogantia Hypocritarum reprimenda est uoce legis, quæ est ut Ier. 23. dicitur, Malleus conterens petras, id est, hypocritas, qui non afficiuntur sensu peccati & iræ Dei. Et in cordibus agnitio peccati, quod non tegitur disciplina, ac dolor ortus ex sensu iræ Dei excitandus est, & cum Dauide exclamandum. Tibi tantum sum peccator, & coram te malum feci, ut tu iustificeris in sermonibus tuis. Item, Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei. Hæc peccati confessio per Legem, quæ est uelut speculum, monstrans nostrarum sordium deformitatem & magnitudinem, extorquetur. Ac proprij & principales legis effectus in hac primorum patrum historia proponuntur.

I. Aperire oculos, ut cernant nostram nuditatem, hoc est, monstrare peccatum, & ostendere nos omni gloria iusticiæ ac sanctitatis exutos, nihil nisi tetras sordes peccatorum in conspectum Dei adferre, ut dicitur Rom. 3. Per legem agnitio peccati.

II. Inca-

II. Incutere horrendos pauores & cruciatus conscientia, qui sunt sensus irae Dei aduersus peccatum, quam lex denunciat. De hoc effectu dicitur Rom. 4. Lex iram operatur. Et 1. Corinth. 15. Aculeus mortis peccatum est, potentia autem peccati lex est. Et Rom. 7. Per Legem peccatum fit excellenter peccatum.

Nec tantum intelligamus uoce Legis, scriptas sententias Decalogi, aut uiuam praedicationem legis, sed ut inquit Paulus, Lex scripta est in cordibus nostris, accusantibus se mutuo uel defendentibus cogitationibus. Sic Adam, & initio, nondum audita diuina accusatione, cernit suum peccatum, & postea cum uoce Dei arguitur, horrendos pauores sentit, nec quidquam aliud ante reuelatam promissionem statuere potuit, quam se perpetuo abiectum esse. Sic enim ex Lege ratiocinatus est.

Norma iusticiae Dei aeterna & immutabilis est, ut creatura rationalis obediat Deo, uel non obediens in aeternas poenas abijciatur.

Ego non obediui Deo, sed horribili ingratitude ne offendi DEVM, & uiolau i mandatum Dei.

Ergo necesse est me abijci in aeternam damnationem.

Ita horrendos pauores ipsi legis diuinae cogitatio incutit, & ad desperationem ac aeternam mor-

K 2 tem

tem eum adegisset, nisi filius Dei promissionem ex  
arcano sinu Patris prolatum edidisset, cuius filius  
ex ingentibus terroribus postea eluctatus, se susten-  
tauit.

Et cum audiissent uocem Domini  
Dei deambulantis.)

Non dubium est hac prima patefactione post  
lapsum, quæ fit per uocem, ad auram diei, id est, sub  
uesperam, significatum esse aduentum  
Christi, qui est uox seu uerbum æterni  
Patris, de quo dicitur, Hunc audite,  
& sub uesperam, id est, postremis  
temporibus mundi uenit, ut pectora nostre  
sensu peccati ac iræ Dei torrefacta, gratissima sui  
spiritus aura, & refrigerio, recreet ac reficiat.

Quia fecisti hoc, maledictus es.)

Pœna Diaboli est æterna maledictio, à qua non  
potest liberari Diabolus, & quam totam sentiet in  
se effundi extremo die, nunc super pectus ingreditur,  
id est, horribiliter pauet & contremiscit expectatione  
iudicij diuini. Estque hæc pœna, ut inquit Iob,  
Sempiternus pauor inhabitans. Deinde terram comedit,  
id est, huius mundi fecibus terrenis implicatus est,  
ut libidinibus, cædibus, idolis, ac propterea  
maledictus est omnibus diebus uitæ suæ, id est, ad  
omnem æternitatem, ut dicitur Matth. 24. Ite maledicti  
sunt in æternum ignem, qui paratus est Diabolo &

Angelis

Angelis eius. Et 2. Pet. 2. Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed catenis tenebrarum in tartara precipitatos tradidit in iudicium &c.

Maledicatur autem serpenti quoque propter diabolum, qui serpente ad suum scelus abusus erat, & tamen figurate sub ista serpentis maledictione, aeterna Diaboli poena est intelligenda.

## VII.

DE PROMISSIONE  
Euangelij, & de discrimine Legis & Euangelij.

Mirando & inenarrabili consilio diuinitatis ab aeterno, & conditum est decretum, ut filius Dei fieret deprecator ac uictima pro genere humano in peccatum ac mortem lapsus, & postea in Paradiso prolata est promissio reconciliationis, ignota omnibus creaturis, qua Deus testatus est, se primos parentes recipere in gratiam, & deleturum esse peccatum ac mortem, & instauraturum iusticiam ac uitam propter uenturum Semen mulieris. Ac immensa amplitudo misericordiae diuinae, & ingens ira aduersus peccatum praecipue conspicitur, quod Deus & recipit homines lapsos, cum iusticia eius sit immutabilis, et sic recipit ut Filius fiat uictima. Hoc mirandum consilium de receptione generis humani

K 3 superans